HIERONYMUS

Klosterneuburg, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 36v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nas tuas. hec enim uasa sunt transmigranti uidentibus eis. et post quam uiderint que facturus es. egredieris uespere in similitudine transmigrantis. Legimus enim sedechiam nocte muro suffosso fugisse ad deserta iordanis ibique a babyloniis esse comprehensum. et hoc significari per fossum parietem. Quod autem dicitur in humeris portabis. sub audiatur sarcinas tuas s. et quecumque quod ad uite solatium fugientes portare consueuerunt. In caligine efferes ne uidearis a quoquam. faciem tuam uelabis. uel cecitatem que ei accidit. erutis oculis a nabuchodonosor. uel ne cognoscatur quod ipse sit rex. et maior ei cura fiat seruantium. Quodque sequitur. et non uidebis terram. illud significat quod cecus ductus sit in babylonem. eamque non uiderit. Quia portentum inquit dedi te domui israel. Insignium enim et insignium prophetarum tam dicta quam facta sunt. Isaias et zacharias uiri portentuosi uocantur quod futura portendant. Et in osee loquitur dominus. In manibus prophetarum assimilatus sum. Quidam autem uolunt in ezechielis persona intelligi christum. uasa captiuitatis. humanum corpus accepisse. et per fossum parietem quo infernorum claustra perfregit et resurgens solis credentibus uisus est. portatusque in humeris. quando cum angelicis potestatibus ad celum uictor ascendit. et quod absconditus egreditur. et uelat faciem suam ne in carne mortali uideatur diuina maiestas. et non uidet terram. ne oculis illius illustretur que eius non meretur aspectum. Oculi enim domini super iustos. et auertit faciem suam ab impiis. Hec autem inquiunt omnia fecisse narratur. ut per similitudinem hominis dura ad fidem israhelitici populi corda conuerteret.

Et in portentum datur domui israel. iuxta illud quod scriptum est. Ecce hic positus est in resurrectionem et in ruinam multorum. et in signum cui contradicetur.

Feci ergo sicut preceperat michi. uasa mea protuli. quasi uasa migrantis per diem. et uespere perfodi michi parietem manu. in caligine egressus sum. et in humeris portaui in conspectu eorum. LXX. Et feci sic iuxta omnia que mandauerat michi. uasaque protuli sicut uasa captiuitatis per diem. et ad uesperum perfodi michi parietem manu. et absconditus egressus sum super humeros assumptus sum in conspectu eorum. Que supra iussus est facere. opere se complesse testatur. nec interpretatione indiget iuxta utramque sententiam. quod supra expositum est. Illud autem notandum quod uno atque eodem tempore hieremias prophetabat in ierusalem. et ezechiel in babylone. et ille prophetiam mittebat ad captiuos. et hic ad eos qui habitabant in ierusalem ut unius in diuersis regionibus dei prouidentia appareret. et intelligerent audientes quecumque accidebant populo. neque quicquam ydolorum potestate sed domini iussione consistere.

Et factus est sermo domini ad me dicens. Fili hominis numquid non dixerunt ad te domus israel. domus exasperans. quid tu facis. Dic ad eos. Hec dicit dominus deus. Si te inquit interrogauerit domus exasperans quare ista facis. uel secundum LXX et si non interrogauerint te ingere. ut sciant cur ista feceris.

Dic ad eos. Hec dicit dominus deus. Super principem onus istud. qui est in ierusalem et super omnem domum israel. que est in medio eorum. Dic. Ego portentum uestrum. quomodo feci. sic fiet illis. in transmigrationem et captiuitatem ibunt. princeps autem qui est